

causa commissa fuit sub clausula, « appellatione remota. » Verum de hoc casu, sicut et nonnullis aliis, in quibus appellare non licet, commodius dicitur infra § 10. n. 279. et seqq.

§ III.

DE JUDICE AD QUEM APPELLATIONIS.

54. *Regula est, quod appellatio debeat fieri gradatim ad proximum superiorem.* — Quæritur I. Utrum appellatio gradatim sit instituenda ad proximum judicem superiorem; et quando secus? Resp. I. Regula est, quod appellatio debeat fieri gradatim ad proximum judicem superiorem ejus, a quo appellatur; non autem omisso medio ad remotum, sive mediatum. Ita Socinus, in *Fallentiis*, reg. 23. et communis. Idque patet ex c. *Dilecti filii*. 66. h. t. ubi appellatio, quæ omisso diœcesano episcopo fuit facta ad archiepiscopum, ad quem gradatim appellari debuisset, exceptione partis adversæ opposita non habuit effectum. Id ipsum patet ex c. *Romana*. § *Ab Archidiacono*. h. t. in 6. et can. *Anteriorum*. § *Ita tamen*. 2. q. 6. et l. *Imperatores*. ff. de *Appellatione*. et l. *Præcipimus*. c. eod. cum similibus; ubi appellationem gradatim esse faciendam, et alioquin remittendam ad inferiores judices, decernitur. Concordant dicta superius § 1. n. 5. Nec immerito ita fuit statutum: quia jurisdictiones non debent confundi, sed cuilibet sua jurisdictio conservari, can. *Pervenit ad nos*. 11. q. 1. et l. *Nemo*. juncta Glossa *ŷ. Auxilium*. c. de *Jurisdict. omn. Judic.* Sigism. Scaccia tract. de *Appellatione*. q. 7. n. 1. et 2. cum aliis.

55. *Ea tamen fallit in pluribus casibus.* — Resp. II. Nihilominus data regula fallit in pluribus casibus. Ita Glossa cit. c. *Dilecti filii*. *ŷ. Post hujusmodi appellationem*. et Abbas, ibid. n. 6. ac seqq. et Barbosa, in *Collectan.* n. 3. h. t. Socinus, in *Fallentiis*. Reg. 23. Sigism. Scaccia, de *Appellatione*. quæst. 7. n. 36. et seqq. novemdecim tales casus adducens, eosque fusissime declarans. Idque probatur inductione, enumerando principaliores casus illos, in quibus fallit dicta regula.

56. *Ad papam potest appellari, omisso medio, ex toto orbe in causis ecclesiasticis, ac spiritualibus.* — Et primus quidem casus exceptus est in papa: nam ad papam appellari potest omisso medio, vel mediis, ex toto orbe in causis ecclesiasticis, ac spiritualibus, et quoad eos, qui temporali jurisdictioni ipsius

subsunt, etiam in temporalibus. Siquidem ad sanctam et apostolicam sedem, quasi ad caput, suffragium habere, atque appellare, omnibus liberum est, can. *Si quis vestrum*. et can. *Ad Romanam*. et can. *Quoties*. 2. q. 6. cum similibus. Nam papa est ordinarius ordinariorum, et habet concurrentem potestatem cum omnibus inferioribus judicibus; estque jam dictum supra cit. §. 1. n. 6.

57. *Haud obstante, quod secus sit in imperatore: et cur?* — Nec obstat, quod appellatio immediate facta ad imperatorem non admittatur, sed remitti jubeatur ad inferiores judices, l. *Imperatores*. ff. de *Appellat.* Idque ea de causa (etiam militante suo modo in summo pontifice) ne imperatoriam majestatem occupatam publicis causis, propter tot appellationes, quandocunque super minimis rebus interpositas, nimium inquietari contingat, cit. can. *Anteriorum*. 2. q. 6. Resp. enim, illud privilegium, quod ad papam immediate appellari possit omisso mediis, esse specialiter concessum sanctæ Sedi apostolicæ, can. *Ideo*. 2. q. 6. junctis concordantiis jam allegatis. Neque urget nimia appellationum frequentia, et ingens negotiorum moles. Nam summus pontifex, utpote Christi in terris vicarius, et communis omnium pater, erectis compluribus sacris congregationibus abunde satagit, potestque satisfacere singulorum necessitatibus: secus contingit in imperatore. Accedit, quod « non ita in ecclesiasticis agendum est negotiis, sicut in secularibus; » uti loquitur pontifex relatus can. Non ita, 2. q. 6.

58. *Excipitur unius casus, in quo non appellatur ad papam.* — Excipe tamen unicum casum, in quo non appellatur ad papam: si nempe appelletur a subdelegato delegavit papæ, atque is subdelegavit non in totum, sed aliquid sibi de jurisdictione reservando. Quia enim delegatus papæ representat personam ipsius papæ, merito ab ejus subdelegato non debet appellari ad papam, sed ad ejus delegatum, sive ipsum subdelegantem: idque tum ob honorem illius delegati, utpote representantis personam papæ; tum ad parcendum gravioribus partium laboribus atque expensis. Patet hoc per textum notabilem in c. *Cum te consulente*. 18. de *Offic. delegat.* juncto Summario, et doctoribus ibid. et c. *Super quæstionum*. 27. § *Porro*. eod. ac notat Abbas cit. c. *Dilecti filii*. n. 11. h. t. et Pirhing, eod. n. 90. cum aliis; estque ex professo declaratum supra lib. I. tit. XXIX. de *Offic. et*

potestat. Judicis delegati. § 7. n. 159. 160. et seqq. addendo nonnullas exceptiones hujus ipsius limitationis.

59. *Etiam ad legatum papæ potest appellari immediate, omisso mediis.* — Secundus casus habetur in legato papæ. Nam ad legatum papæ in ejus legatione, sive provincia, potest immediate appellari omisso mediis; ut cap. 1. de *Offic. legat.* quia legatus ejusmodi in provincia sua vices papæ gerere comprobatur, prout ibidem dicitur. Abbas cit. c. *Dilecti filii*. n. 12. et 19. Speculator, tit. de *Appellationibus*. § *Nunc tractemus*. n. 15. Felinus, c. *Super quæstionum*. n. 14. de *Offic. delegat.* Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. tit. de *Appellatione*. n. 371. Scaccia cit. quæst. 7. de *Appellatione*. n. 103. allegans alios, etiam attestantes de communi: quidquid nonnulli apud Speculatorem loc. cit. olim tenuerint in oppositum.

60. *Ampliatur istud ad patriarcham.* — Ampliatur istud ad patriarcham, ad quem potest etiam appellari omisso intermedio. Glossa 1. can. *Renovantes*. dist. 22. istud concedens de patriarcha Constantinopolitano, per textum in can. *Si Clericus*. 11. q. 1. Scaccia, d. quæst. 7. de *Appellat.* n. 104. addens patriarcham Alexandrinum. Socinus in *Fallentiis*, reg. 23. fallent ult. post Innocentium in c. *Archiepiscopus*. de *Privileg.*; Felinus d. c. *Super quæstionum*. n. 14. de *Offic. delegat.* Maranta, ubi supra, n. 371. et ipsemet Scaccia cit. n. 204. postmodum cum aliis istud concedens generaliter in quolibet patriarcha, nempe quod ad ipsum possit appellari omisso medio.

61. *A subdelegato in totum appellatur ad primum delegantem: secus, si subdelegans sibi aliquid de jurisdictione reservavit.* — Tertius casus est in subdelegato in totum. Etsi enim a subdelegato non appelletur ad primum delegantem, sed ad ipsum delegatum subdelegantem (dummodo hic non subdelegaverit totam causam, sed solum partem, aut certum articulum ipsius, sibi quantum ad alia reservando jurisdictionem) si tamen is totam causam alteri subdelegaverit, omnem jurisdictionem suam circa eam transferendo in alium, jam non ad eum, sed ad primum delegantem appellandum erit: sicque videtur quodammodo appellatio fieri omisso medio, per textum in c. *Super quæstionum*. 27. § *Porro*. de *Offic. delegat.*

62. *A vicario generali episcopi non appellatur ad episcopum, sed duntaxat ad superiorem.* —

Quartus est in vicario generali, sive officiali episcopi nam ab hoc non potest appellari ad episcopum, sed duntaxat ad superiorem; neque valet consuetudo in contrarium, c. *Non putamus*. 2. de *Consuetud.* in 6. Nam cum sit idem auditorium utriusque nempe episcopi et officialis sui, videretur appellatio interponi ab eodem ad se ipsum; estque amplius declaratum supra lib. I. tit. IV. de *Consuetudine*. § 5. n. 75. et seqq.

63. *Non obstante quacunque consuetudine in contrarium; et cur?* — Nec obstat, quod valeat consuetudo appellandi ad superiorem mediatum omisso medio. Nam, quod appelletur ab officiali ad episcopum, est contra substantialia appellationis; cum hæc essentialiter sit provocatio de minore ad majorem. Sed quod appelletur omisso medio, non est contra ejus substantialia, sed contra accidentalibus duntaxat; unde non mirum, quod possit valere consuetudo in contrarium quantum ad hoc posterius, non vero quantum ad prius. Abbas cit. c. *Dilecti filii*. 66. n. 16. h. t. Concordant dicta superius § 1. n. 7.

64. *Valet appellatio ad superiorem omisso mediis, ubi id admittit consuetudo.* — Quintus casus, in quo valet appellatio ad superiorem omisso mediis, est, si alicubi id admittat consuetudo legitime præscripta. Patet hoc ex c. *Romana*. h. t. in 6. ubi dicitur, appellationem esse faciendam ab Archidiacono, et aliis inferioribus prælatis ad episcopum, et non immediate ad archiepiscopum, « nisi aliud Archiepiscopo de consuetudine competat in hac parte. » Concordant dicta superius § 1. n. 7.

65. *Idem procedit ratione privilegii.* — Sextus casus habetur ratione privilegii, utpote vi cujus potest quis appellare ab inferiore ad superiorem, omisso medio. Tum quia privilegium est lex privata, c. *Abbate*. 25. § *Contra*. ff. de *Verb. signif.* Tum quia consuetudo, et privilegium æquiparatur, can. *Conquestus est*. 9. q. 3. et c. *Duo simul*. 9. de *Offic. judic. ordinar.*; Glossa c. *Romana*. *ŷ. Consuetudine*. h. t. in 6; Socinus cit. reg. 23. fallent. 7; Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. tit. de *Appellatione*. n. 372; Scaccia cit. quæst. 7. de *Appellat.* n. 95 et 99. cum aliis, quos citat.

66. *Scholares possunt appellare ad superiorem, omisso medio.* — Sic quippe, tacendo alia specialia privilegia quibusdam personis, aut communitatibus concessa, possunt scholares indebite gravati appellare ad superiorem, puta imperatorem, omisso medio; idque

ex speciali privilegio, scholaribus concesso, in Auth. *Habita*. c. *Ne filii pro parentibus*, etc.; Socinus, loc. cit. fallent. 5; Maranta, d. n. 372. post Baldum in d. Auth. et alios.

67. *Simile privilegium competit viduis, pupillis, aliisque miserabilibus personis.* — Simile privilegium competere viduis, pupillis, aliisque miserabilibus personis; adeo, ut eis permissum sit appellare omisso medio, imo et principem adire in prima instantia: tradit Scaccia, d. quæst. 7. de *Appellatione*. n. 113. 114. et seqq. id probans ex l. un. c. *Quando Imperator inter pupillos*, etc. atque pluribus aliis, pro hac sententia allegatis, refundens originem hujus privilegii (fusus ab eodem declarati) in jus naturale, ac divinum; juxta illud *Exodi*, xxii, 22-24. *Viduae et pupillo non nocebitis: si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum; et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio: et erunt uxores vestrae viduae, et filii vestri pupilli.* (ADNOTATIO XX.)

68. *Potest appellari ad superiorem, quando iudex intermedius est inhabilis; puta, quia est excommunicatus, suspensus, etc.* — Septimus casus est, quando Iudex intermedius est inhabilis: puta, quia est excommunicatus, hæreticus, suspensus, aut hujusmodi: quia tunc poterit, eo omisso, appellari ad Iudicem superiorem, c. *Si is, cui*. 10. de *Offic. delegat.* in 6; Abbas cit. c. *Dilecti filii*. 66. n. 15. h. t.; Socinus, d. reg. 23. fallent. 11; Felinus cit. c. *Super quæstionum* n. 14. de *Offic. delegat.*; Maranta, ead. part. VI. *Speculi aurei*. tit. de *Appellatione*. n. 375. Scaccia, ubi supra, n. 37. allegans alios. Nec immerito: nam, ex quo per excommunicationem, aut aliam hujusmodi inhabilitatem, sublatum est medium (nempe iudex intermedius excommunicatus etc.) consequens est, ut pateat accessus ad superiorem; alioquin quippe subtraheretur cuiquam necessario defensio appellationis, omni jure concesso gravato; simulque quis prægravaretur odio alterius, contra reg. 22. jur. in 6. cum similibus.

69. *Aut suspectus, sique recusatus.* — Atque istud ampliatur ad eum casum, quo iudex proximus est suspectus, sique recusatus. Socinus cit. reg. 23. fallent. 12; Speculator, tit. de *Appellatione*. § *Nunc tractemus*. n. 5; Maranta, ubi supra, n. 387; Scaccia cit. quæst. 7. n. 40. cum aliis, qui istud exemplificant in casu, quando ordinarius recusatus ut suspectus, delegavit causam alicui delegato: nam si ab ipso delegato ap-

pellari contingat, non ad illum ordinarium, v. g. episcopum, sed ad ejus superiorem, puta, ad archiepiscopum, erit appellandum; sicque procedit appellatio omisso medio. Nisi dicere velis cum speculatore cit. n. 5. quod, cum ordinarius sit recusatus, non amplius censeatur facere medium, arg. can. *Placuit, ut presbyteri*. 2. q. 6.

70. *Vel absens longe impedimento detentus.* — Ampliatur ulterius ad eum casum, quo proximus superior foret absens, longo impedimento detentus; quia tunc appellatur ad superiorem iudicis impediti, secus, si impedimentum modico tempore esset duraturum, quia tunc deberet expectari cessatio impedimenti. Scaccia, d. quæst. 7. n. 111. post Francum in rubric. n. 40. vers. *Quæritur, de Appellat.*; Maranta, ubi supra, n. 379.

71. *Aut denegat justitiam, vel sponte remittit causam ad superiorem.* — Ampliatur rursus, quando immediatus, seu proximus iudex denegat justitiam, vel sua sponte causam remittit ad superiorem. Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 119. n. 2; Scaccia, loc. cit. n. 43, allegans insuper Mynsinger. *Singul. observat.* cent. 1. observat. 67. 2.

72. *Item, quando episcopus litigat cum suo subdito.* — Octavus casus est, quando episcopus litigat cum suo subdito; puta, cum clerico aliquo: quo casu eligendi sunt Arbitri, can. *Si Clericus adversus clericum*, 11. q. 1. et postea, si a sententia arbitrorum appellari contingat, appellandum est ad Papam, omisso medio. Textus et Glossa fin. c. *Ab arbitris, de Offic. delegat.* in 6. Abbas c. *Dilecti*. 66. n. 14. h. t.; Maranta, loc. cit. n. 376. Scaccia, d. quæst. 7. n. 107. citans plures alios.

73. *Quando per errorem appellatur ad superiorem omisso medio, non vitatur appellatio; secus si ad minorem.* — Nonus casus est, quando per errorem appellatur ad superiorem, omisso medio: nam talis error appellationem non vitiat, quamvis excipiente contra eam adversario remitti debeat ad iudicem competentem. Secus, si per errorem quis appellaverit ad minorem: quia talis error est contra substantiam appellationis; sicque hanc vitiat, l. I. § *Si quis in appellatione*. et ibi Bartolus, n. 1. et 5. ff. h. t.; Abbas, d. c. *Dilecti*. 66. n. 8. h. t.; Scaccia, loc. cit. n. 96. citans alios; atque n. 98. subjungens. quod in dubio semper præsumatur error.

74. *Generaliter valet appellatio ad superiorem omisso medio, si contra eam pars adversa*

non excipiat. — Decimo tandem, ut omittantur alii casus, apud auctores proxime citatos videndi, fallit generaliter allata regula, quando contra appellationem omisso medio factam, non opponitur exceptio per partem adversam: quia tunc ejusmodi appellatio, ad superiorem mediatum facta, non est ipso jure nulla, sed valet una cum gestis per superiorem istum; argumento a sensu contrario desumpto, ex cit. c. *Dilecti filii*. 66. h. t. ibi: « Fuit excipiendo propositum: » et tradit Glossa ibid. §. *Post hujusmodi appellationem*. Abbas, numer. 7. et Barbosa, numer. 4. h. t. Maranta, cit. part. VI. tit. de *Appellatione*. n. 373. post Rotam decis. 387. in c. *Si tres*, etc. in novis; Scaccia cit. quæst. 7. n. 18. 19. et 26. allegans alios, qui attestantur de communi, saltem loquendo secundum canones: quidquid nonnulli contradicant, quorum opinionem procedere secundum leges, censet idem Scaccia, n. 17. et 20. Accedit ratio, quia pars adversa, si non excipiat coram illo superiore, censeatur in appellationem consentire, atque ejus jurisdictionem in se prorogare ipso facto, ac tacito suo consensu. Concordant dicta superioribus § 1. n. 7.

75. *Quid juris, si uterque litigantium appellat, sed ad diversos iudices? Appellans ad superiorem, si citetur a iudice inferiore, ad quem alter appellavit, tenetur comparere, vel saltem responsalem mittere: alioquin iudex ille contra eum poterit procedere, veluti contumacem, etc.* — Quæritur II. Quid juris, si uterque litigantium appellat, sed ad diversos iudices, v. g. unus ad papam, alter ad inferiorem aut unus ad episcopum, alter vi consuetudinis eo omisso ad archiepiscopum? Resp. I. Si appellans ad superiorem citetur a iudice inferiore ad quem alter appellavit, tenetur is coram iudice inferiore comparere, aut responsalem mittere allegando appellationem suam ad superiorem interpositam; alioquin inferior iudex contra eum veluti contumacem procedere poterit, valebitque excommunicatio in ipsum per contumaciam promulgata: nisi iudex ille interior serverit appellationem ab eo interjectam ad superiorem. Ita habetur c. *Si duobus*. 7. h. t. ubi Abbas in *Summario*. Barbosa, in *Collectan.* n. 1. et 2. h. t., Scaccia, de *Appellatione*. quæst. 10. n. 10. et seqq. et alii.

76. *Et quæ hujus ratio?* — Ratio est, quia iudex inferior habet jurisdictionem ordinariam in talem, donec ea per exceptionem, sive oppositionem appellationis ad superio-

rem elidatur; et consequenter hac non opposita, vel saltem sibi non patefacta, potest contra legitime citatum, nec comparentem neque mittentem pro se responsalem, procedere veluti contra contumacem, juxta textum d. *Si duobus*. h. t.

77. *Dummodo aliunde iudex ille non sciverit appellationem ad superiorem ab altera parte fuisse interpositam.* — Additur tamen, « nisi iudex ille sciverit, » etc. Quia si aliunde sit notorium, sciaturque a iudice inferiore, appellationem ad superiorem ab altera parte fuisse interpositam, frustra eam ulterius allegati desideraretur: nam juxta reg. 31. jur. in 6. « Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet. » Atqui hic casus expresse exceptus est in cit. c. *Si duobus*. 7. h. t. illis verbis: « Nisi iudex cognoverit, eum ad audientiam Romani pontificis appellasse. »

78. *Appellatio, ad iudicem superiorem prævalet alteri, quæ facta est ad inferiorem.* — Resp. II. Appellatio ad iudicem superiorem prævalet alteri, quæ facta est ad inferiorem, quando hic desuper certificatus est. Desumitur hoc ex cit. c. *Si duobus*. 7. h. t. et notat Abbas, ibid. n. 2. et Barbosa, n. 2. citans alios. Etsi enim ibi sermo sit de appellatione a duobus facta, quorum unus appellavit ad summum pontificem, et alter super eodem negotio ad inferiorem iudicem: idem tamen juris est, si unus non ad papam, sed ad quemcumque alium iudicem superiorem appellet; prout notat Abbas d. n. 2. cum aliis. Nec immerito: quia, cum una, eademque causa non possit tractari coram diversis iudicibus, prævalet tribunal superius; eique cedit minus dummodo desuper fuerit certificatum, juxta dicta n. præced.

79. *Appellatio a iudice sæculari ad Papam, de rigore juris non tenet.* — Quæritur III. An appellatio a iudice sæculari ad papam interposita teneat? Resp. I. Gravatus coram iudice sæculari non potest injustitiam illam per viam appellationis deferre ad papam, nisi litigantes illi etiam sint de temporali jurisdictione ecclesie: et si secus fiat, spectato rigore juris communis non tenet appellatio; licet de consuetudine speciali secus esse possit. Ita habetur cit. c. *Si duobus*. 7. § *Denique* h. t. ubi pontifex desuper consultus, sic respondet: « Denique, quod quæris, si a civili iudice ante iudicium, vel post; ad nostram audientiam fuerit appellatum, an hujusmodi appellatio teneat: tenet quidem in his, qui sunt nostræ temporali jurisdictioni subjecti;

in aliis vero, et si de consuetudine Ecclesie teneat, secundum juris rigorem credimus non tenere. » Hæc pontifex.

80. *Ecclesia se non intromittit quoad causas civiles, in præjudicium judicis sæcularis.* — Hinc quantum attinet priorem partem conclusionis, Glossa fin. ibid. patere inquit, quod jurisdictio temporalis non pertineat ad Ecclesiam, nec de ea debeat se intromittere in præjudicium judicis sæcularis: ut c. *Novit. § 1. de Judiciis, et c. Lator. et c. Causam. quæ. 7. Qui filii sint legitimi*, cum similibus. Accedit ratio: quia potestas civilis et ecclesiastica, sunt potestates distinctæ, can. *Cum ad verum. et can. Duo sunt.* dist. 96. ergo hoc ipso potestas ecclesiastica, non debet se intromittere quoad causas civiles in præjudicium potestatis civilis.

81. *Nisi laici litigantes sint de temporali jurisdictione Ecclesie. In terris temporali jurisdictioni Ecclesie subjectis, debent etiam inter laicos servare canones, non leges civiles, ubi discrepant.* — Intellige; nisi laici litigantes sint etiam de temporali jurisdictione ecclesie: nam tunc utraque potestas coalescit in unam; et facta ad papam appellatione in civilibus, nulli alii fit præjudicium. Concordat textus proxime allegatus, ibi: « Tenet quidem in his, qui sunt nostræ temporali jurisdictioni subjecti. » Quinimo ex hoc textu desumitur argumentum optimum, et quasi expressum, quod in terris temporali jurisdictioni Ecclesie subjectis, debeant etiam inter laicos servari canones, et non leges civiles, data inter hos aliqua discrepantia. Abbas cit. c. *Si duobus.* n. 6. et Barbosa, ibid. n. 6. h. t. et alii.

82. *De consuetudine speciali potest tenere appellatio a iudice sæculari ad Papam.* — Altera pars datæ conclusionis, asserens, aliud esse posse de consuetudine speciali alicubi vigente, ex eo patet. Quia talis consuetudo rationabilis est, simulque favorabilis; ut c. *Si Clericus.* 5. et c. *Licet.* 10. de *Foro compet.* Unde nihil impedit quominus possit introduci, ac legitimo tempore præscribi, cap. *ul. de Consuetud.* cum concordantiis.

83. *Non tamen valet consuetudo, appellandi a foro ecclesiastico ad sæcularem. Et cur?* — Nec obstat, quod non valeat consuetudo, ut teneat appellatio a foro ecclesiastico ad sæcularem. Resp. enim, disparitatem esse: quia hoc est contra essentiam appellationis, quæ est provocatio a minore iudice ad majorem. Atqui majus, et dignius tribunal est eccle-

siasticum, quam sæculare, can. *Duo sunt.* dist. 96. etc. *Solitæ.* 6. de *Majorit. et obed. et Extravag. Unam sanctam.* eod. inter *Communes*, cum similibus. Unde non mirum, quod vi consuetudinis possit a foro sæculari appellari ad ecclesiasticum, non autem e converso.

84. *Casus, in quibus a iudice sæculari videtur provocari ad ecclesiasticum, referuntur.* — Dices. Etiam seclusa consuetudine, et spectato jure communi, potest a iudice sæculari provocari ad ecclesiasticum, ergo. Antecedens probatur multipliciter. Sic enim imprimis in c. *Novit.* 13. de *Judiciis*, rex Angliæ denunciavit papæ regem Franciæ, quod venisset contra compositionem juramento firmatam, et facta occasione feudi super comitatu Pictaviæ; quod erat quid temporale. Deinde c. *Ex parte.* 15. de *Foro compet.* dicitur, quod vidua, vel alia persona miserabilis, si in bonis suis, etiam feudalibus, aut sæcularibus opprimatur, seu spoliatur, possit immediate ad iudicem ecclesiasticum recurrere. Ulterius c. *Ex tenore.* 11. § fin. eod. conceditur, quod si iudex sæcularis negligit facere justitiam, possit ecclesiasticus adiri. Tandem hoc ipsum admittitur in casu, quo superior iudex sæcularis non invenitur, v. g. vacante imperio, c. *Licet.* 10. juncta Glossa *¶. Vacante imperio. de Foro compet.* ergo data conclusio non videtur subsistere. Resp. neg. consequent. Nam allegata jura loquuntur in casibus specialibus, atque omnino diversis: idque ostenditur inductione.

85, 86 et 87. *Ac resolvuntur. Viduæ, pupilli, et alie miserabiles personæ rebus suis spoliata, possunt spoliatores suos convenire coram iudice sæculari.* — Imprimis enim in cit. c. *Novit de Judiciis*, non agitur principaliter de aliquo temporali, puta, de feudo super comitatu Pictaviensi; sed ibi agitur principaliter de causa spirituali, nempe de juramento, sive perjurio a rege Franciæ in fractione compositionis juratæ commisso. Quia, ut protestatur ibidem pontifex; is non intendebat iudicare de feudo; sed de peccato in fractione pacis commisso, cujus cognitio indubitanter pertinet ad iudicium ecclesie.

Ad alterum, sive ad c. *Ex parte.* 15. de *Foro compet.* dicitur, id procedere solum, si viduæ, aut pupilli, vel ejusmodi personæ miserabiles ab aliis injuste graventur, vel bonis suis spoliarentur, sicque spoliatores suos convenire velint coram iudice ecclesiastico interdicto *Unde vi*: nam causæ hujusmodi miserabilium personarum, per vim oppressa-

rum, sunt mixti fori, sicque earum defensio spectat etiam ad Ecclesiam saltem cumulative, per textum ibid. juncto can. *Licet.* et can. *Defensionis.* dist. 87. cum similibus. Verum istud duntaxat procedit, si agatur Interdicto *Unde vi*, sive ad repellendam violentiam ipsis illatam, aut recuperandam possessionem eisdem violententer ablatam; nam si vidua, vel alia persona miserabilis, velit agere contra laicum petitorio tantum, sive de proprietate circa rem temporalem, non auditur coram iudice ecclesiastico, nisi in defectum judicis sæcularis, c. *Ex tenore.* 11. de *Foro compet.* estque jam dictum supra eod. tit. 2. de *Foro competenti*, § 7. n. 154. et seqq. ubi plura de hoc.

Ad alia duo capitula dicitur, ea in illis specialibus casibus procedere, ne alioquin actor indebite privetur jure suo, dum nullus alius adest, qui justitiam administrare valeat: vel hanc iudex sæcularis malitiose recusat administrare, sicque merito propter ejus peccatum jurisdictio devolvitur ad iudicem ecclesiasticum. Plura de hoc videri possunt supra lib. 1. tit. X. de *supplenda negligentia prælatorum.* § 3. a n. 45. usque ad n. 49. inclusive.

§ IV.

CORAM QUIBUS, ET QUOMODO PROPONI DEBEAT APPELLATIO?

88. *Appellatio regulariter est proponenda coram iudice a quo.* — Quæritur I. Coram quo iudice appellatio sit proponenda? Resp. I. Regulariter loquendo, appellatio debet proponi ab appellante coram iudice a quo; alioquin ea est nulla, nec habebit effectum suspensivum, et devolutivum. Ita Speculator tit. de *Appellation.* § *Nunc dicamus.* n. 10; Scaccia, tract. de *Appellat.* quæst. 6. n. 1. et seqq.; Barbosa, c. *Ut debitus.* n. 5. h. t. post Rotam in una Salernitana contributionis. 14. novemb. 1614. coram domino Dunozello, et alios; et idem Barbosa, cap. ult. n. 17. h. t.; Pirhing, eod. n. 83. et alii communiter. Idque desumitur tum ex d. cap. ult. juncta Glossa ibid. *¶. Coram iudice a quo.* h. t. tum ex c. *Ut debitus.* 59. eod. In quo posteriori loco dicitur: « Cum autem ex rationabili causa putaverit appellandum, coram eodem iudice causa probabili appellationis exposita, etc. Superior de appellatione cognoscat. » Accedit ratio, quia per appellationem principaliter agitur ad suspendendam, ad rescindendam

sententiam iudicis: unde merito coram eo appellandum est, et non solum in præsentia partis, ne alioquin iudex, ignarus interpositæ appellationis, ulterius causæ illi sese immisceat.

89. *Quid, si copia iudicis a quo haberi nequeat, bene tamen iudicis ad quem?* — Resp. II. Fallit nihilominus data Regula in nonnullis casibus. Et primo quidem, si copia iudicis a quo haberi nequeat, possit tamen haberi copia iudicis ad quem. Nam tunc coram isto erit proponenda appellatio, dummodo postea hoc ipsum intretur iudici a quo, ne amplius sese immisceat tali causæ: et si secus fiat, postea revocari valeant attentata per ipsum; juxta textum notabilem in l. 1. § *Dices autem.* ff. *Quando appellandum sit*, quæ est canonizata in can. *Biduum.* § *Si quis.* 2. q. 6.

90. *Quando censeatur copia iudicis non haberi?* — Censeatur autem copia iudicis, sive facultas ipsum adeundi tunc haberi, si in publico sui copiam fecerit. Non enim iudex ab appellare volente est necessario requirendus in horto. aut in villa suburbana; sed satis est, quod perquiratur in loco publico, per textum cit. l. 1. *Dices autem.* ff. *Quando appellandum sit.* et can. *Biduum.* § *Adeundi.* 2. q. 6. et notat Barbosa, c. *Ut debitus.* n. 5. h. t. Sigism. Scaccia, de *Appellat.* quæst. 6. n. 18. et 19. citans Rotam decis. 50. alias 29. *Si appellatur a diffinitiva*, sub n. 1. de *Appellation.* in nov. Mysinger, in *Sing. Observat.* cent. 2. observat. 1. cum aliis.

91. *Si neutrius iudicis copia haberi potest, sufficit appellare coram viris honestis.* — Quod si neutrius iudicis copia, seu præsentia haberi possit, tunc appellari potest coram viris honestis, aut una saltem persona authentica, puta notario, adhibitis ei testibus, arg. c. *Ut circa.* 4. de *Election.* in 6. et notat Abbas, cap. ult. n. 3. h. t.; Scaccia cit. quæst. 6. n. 18. 20. et seqq. Tamen in hoc casu necesse est, vel saltem consultum, ut quis coram viris illis protestetur, se coram iudice appellare voluisse, sed copiam ejus habere non potuisse.

92. *Quid agendum, si quis justo metu impeditur, quominus appellet?* — Fallit insuper data regula in casu, quo quis justo metu, sive cadente in virum constantem impeditur, quominus appellet. Nam si is coram iudice a quo, aut si hoc fieri nequeat (eo quod ejus copiam habere non possit, vel ob ejusmodi gravem metum non audeat) coram viris honestis intra decem dies protestetur, se appel-